

Taubmann. ^{apromtey}

improbatum semel reprobari non potest 148. 13
quod semel punit amplius displicere non debet p. 19. num. 4

1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
20
21
22
23
24
25
26
27
28
29
30
31
32
33

l. 9
m. 6 10



53 1429.
TRINUNI AUXILIO
TERNAS
EX QUINTUPLICI JURE
POSITIONES,
Magnifici Jctorum Ordinis Consensu,

SUB PRÆSIDIO
VIRI
NOBILIS, AMPLISSIMI, EX-
CELLENTISSIMI,
DN. GODOFREDI SVEVI

J. U. DOCT. & PROFESS. PUBLICI LONGE CELEBERRIMI,
Curie Electoralis, Scabinatus & inclutæ Facultatis Juridicæ
Adesforis gravissimi,

PRÆCEPTORIS, PATRONI AC HOSPITIS SUI
submisso Observantiæ cultu æviternum colendi,
propugnare nitetur

PAULUS NEANDER, VRATISLAVIENSIS,

Die XIX. Julii.

IN ILLUSTRIS AD ALBIM ACROTERIO JURISCONSULTORUM.

WITTEBERGÆ

E Calcographeo JOHANNIS RÖHNERI, Acad. Typ.

ANNO M DC LI.

DEO
PATRIÆ
PATRI.



Propitiō Numine!



Aut facile citra dubitationem indagari potest Veritas. Sæpius sub specie Veri proponitur nobis id, quod à verò aberrat longissime. Cui Malo cum Academica hæc pericula apprimè medeantur, magnificienda meritò sunt eadem, nec temerè negligenda. Juri præprimis operam daturò, quod opinionum divorticulis abundat quam maximè. Utut modicam mereantur laudem, qui curiosà nimis Industrià in minutissima quevis anxie inquirent, vel de Apicibus Juris antiqui, tanquam pro Aris & focus, contendunt: quorum tamen Scientia plerumq; non prodest multum, neq; obeſt Ignorantia; utpotè qua in Forò hodiernò aut nullum, aut perquam exiguum sortiuntur Usum. Quod ipsum evitaturus, miscella hæc, cum diversis arrideam diversa, Jurium hodiè usitatorum, Themata conscribere non dubitavi, politiorum Censuræ submittenda. Humanum sicubi quid evenerit, Imperatoris nostri Sacratissimi patrociniò me commisisse jurabit, qui, omnium habere memoriam, & in nullò penitus aberrare, solius divinæ, non autem mortalis esse Constantiæ & roboris asseverat. Esto igitur, cum quò cœptum, P. ropitiō Numine.

A POSI.



POSITIONUM
EX JURE PUBLICO, de PERSONIS
ILLUSTRIBUS.

I. Imperator Romano-Germanicus ex
Germanorum Gente eligendus.

Imperium hoc nostrum Romano-Germanicum Successione deferri hodiè, nemo credit, nisi qui vel Status Illius planè inscius, vel hostis ejusdem infensissimus. Tractavère hactenus per bina ferè Secula Imperii habenas Potentissimi Austriæ Archiduces: ideò tamen Ipsi Imperium sibi, ceu Sponsam, desponsarunt neutiquam; nisi & Duces Saxonix, Franconiæ Sveviæque Sponfos Ejusdem dicere quis velit, quos itidem per tempus benè longum Imperio præfuisse legimus. Prærogativam hanc imperandi interruptam meruère virtutes Austriacorum Imperatoriâ Majestate condignæ, nec non Potentia, quâ veluti Murus immanitati Turcicæ oppositus Imperium hoc defendere potis fuerunt præ aliis. Quid? quod juratò promittat recens electus Romanorum Rex, se nullum sibi in Imperio succedendi Jus arrogaturum, sed liberam Principibus Electoribus Electionem relicturum. Quæ tamen libera penitus non videtur, si Gentem, Germanorum videlicet, ex quâ solummodò eligendum est Imperii Caput, spectemus. Id, quod Aurea quidem Bulla non statuit expressè, interim tamen Rationum momenta svadent, satis firma. Cum enim Virtute Magnifici Caroli ad Germanorum Gentem translatum sit hoc Imperium, indignum planè esset Germanos extra Germaniam quærere Caput, & ita Majorum virtuti, quâ omnibus ferè Nationibus antecellunt, detrudere aliquod. Exteris Imperii Decus avitâ virtute partum communicando. Præsertim, cum nec è re videatur Reipublicæ Extraneum indigenæ præferri, utpote qui nec mores geniumque Subjectorum nosse possit, nec debitam erga Subditos non suæ Gentis affectionem fovere præsumatur. Exterus autem habendus statim non est, qui extra Germaniam natus est, modò Patre vel

Limneus,
lib. 2. Jur.
Publ. c. 3.

Carl vom
Hagen /
Lib. 2. Jur.
resp. publ.
c. p. 1. n. 12.

Wurfenr.
Exerc. 2.
Quest. 2.

1467.
vel Avò Germanò sit progenitus: quia non tam inspicitur locus, in quò quis nascitur, quam Personæ ex quibus. Exemplo nobis est Ferdinandus I. hujus Nominis, & Fridericus II. Imperator: quorum Ille, Vivò Avò Imperatore Maximiliano, in Hispania; Hic, Patre Henricò VI. Imperatore, in Sicilia natus ad Imperium fuit admissus.

II. Electore aliquò absente ad Vicarium, non verò Legatum pertinet officii in celebratione solennis Curia adsignati administrationis.

Quò Majestas Imperatoria claresceret eò magis, non plebejos ad exequenda officia, sed Principes Viros adhiberi voluit. gloriosus Chrysobullæ Conditor, quando circa finem Illius certa Serenissimis Electoribus adsignavit Munia, in Curia solennibus, ordine ibidem præscriptò, deservienda. Quæ ut splendiora magis reddantur, Equos & Instrumenta, quibus in executione illorum officiorum usi sunt Electores, subofficiariis suis relinquunt, ne nudus, Ipsis sit dignitatis titulus & officii administrationis absque omni commodò. Dum verò accidit non rarò, ut Ipsi Electores hujusmodi solennitatibus interesse non possint, disceptatum sapiùs inter absentium Legatos & Subofficiarios, utri competat officii Electoralis expeditio? Pro his ut feratur sententia, non una suadet ratio. Eò ipsò enim, dum Carolus IV. certos ordinavit Vicarios, certæ Personæ videntur electisse Industriam, adeoque non per alios, quam quos constituit, expediti voluit hæc Munera. Qui cum per hanc Legis dispositionem Jus habeant quæsitum, in vitis auferendum illud non est: præsertim cum absentibus hisce ordinarii Curia Ministri commodorum quoque ratione substituuntur; ne melior Ministrorum sit conditio, quam ordinariorum vicariorum. Adhæc observantia, optimus Legum Interpres, testatur id facit abundè. In Coronatione Caroli V. Sub-Mareschallus de Pappenheim, exclusò Electoris Saxonici Legato, Principe Anhalti-

*Arum.
Discurs.
VI. ad Tit.
A. B. 27.
Tb. 40.*

*Dan. Otto
Jur. Publ.
cap. 14.*

*Magn.
Dn. Carp-
zov. ad
disp. Feud.
ult. qu. 3.*

haltipò, officium demetiendi avenam administravit: & Sub-
Pincerna de Limpurg, non admisso Regis Bohemiæ Legatò, Re-
gi vinum Aquà, ex more, dilutum propinavit. Idem in Coro-
natione Matthiæ, Ferdinandi II. & felicissimè gubernantis Fer-
dinandi III. observatum attestantur, qui vel Ipsi interfuere, vel
à fide dignis percepèrunt.

II. Principum de reciproca Successio- ne Pacta, omninò approbanda sunt.

*Reinking.
de Reg. Sec.
& Eccl. l.
4. 18.*

*Gail. Libr.
2. Obs. 127.*

Quoniam Jure Justinianeo duo saltem, ex Testamento ni-
mirum & ab intestatò, succedendi modi, regulariter sint con-
cessi; Consuetudine tamen, cui non minor ac ipsi Legi vis est,
tertia conventionalis fuit introducta succedendi species, inter
Familias Illustres non infrequens, quam Confraternitatem,
vulgò appellare solent. Et hanc Jure subsistere Argumentis
evioci potest firmissimis. In Possessione hujus Juris quidam
Germaniæ Principum per tantum temporis spatium fuere, cu-
jus initii memoria non extat: quæ immemoralis consuetudo
Legem imitari dicitur. Et, quod de Principis contractu in ore
Politicoꝝ est, vim Legis eundem habere, idem de aliorum
Principum conventionibus ut dicatur ratio nulla prohibet,
cum in Territoriis suis omnimodam & perpetuam habeant Ju-
risdictionem, & sic etiam Legem condendi potestatem. Ac-
cedit, quod in Bullâ Imperii Principibus concessum sit pangendi
foedera privilegium, adeoque & hujusmodi Pacta ineundi,
cum hæc cum illis ejusdem sint Juris, utpote quæ non tam in-
vim ultimæ voluntatis, quam foederis publici subsistunt. Ad-
hæc, cum Militibus concessum sit quoquò modò contempla-
tione Mortis voluntatem suam declarare, etiam Principes
nostri cum Feudis & Dignitaribus investiti jure hoc uti pote-
runt, quippè qui licet in expeditionibus verè non sint, excubias
tamen pro salute Imperii agere, semperq; Imperatori militare
dicuntur.

2405.
dicuntur. Neque parum roboris Pactis hifce addit Confirma-
tio & autoritas Imperatoris, quæ in tantum necefsaria, ut sine
hâc fubfiftere nequeant eadem. Cum enim in illis de dona-
tione & alienatione Feudorum Regalium agatur, potiffimum,
fine Imperatoris, tanquam Domini Feudi, confenfu valere po-
funt neutiquam. Exempla Paftorum hujusmodi pafsim funt
obvia. Inter Sereniffimos Saxonix Duces & Hafsia Land-
gravios Paftum talis fucceffionis mutux longis retrò ab annis
initum adhuc hodiè viger. Effe&um verò forritum eft, quod
inierant laudati Saxonix Duces cum Comitibus Hennebergen-
fibus, extincâ Horum Familiâ penitus.

*Schönborn
Libr. 2.
Cap. 13.*

EX JURE CIVILI, de SUCCESSIONIBUS
AB INTESTATO.

IV. Jure Civili Liberi primi Gradûs
fuccedunt in Capita,; ulterioris in Stirpes.

Succelfio in Capita eft, quando Hereditas juxta numerum
Personarum dividitur viritim in æquales portiones, ut tot fint
partes, quot Capita, nec alter fuccedentium alterò plus capiat.
In Stirpes vero fuccedût plures unius locum intrantes, qui con-
jun&im illam accipiunt portionem, quam ille habuiffet folus,
cui fuccelfere. Liberi itaque primi Gradûs, ut funt Filii Fi-
liaque, naturales videlicet & legitimi fimul, exclusis omnibus
Cognatis & Agnatis in Capita Parentibus fuccedunt æqualiter:
nifi exheredati fuerint, ob Causas in Nov. 115. c. 3. recenfitas,
non alias, ob enixam Imperatoris voluntatem. Si verò cum
Filiis primi Gradûs concurrant Nepotes ex Filiis defuncti præ-
mortuis, tunc illi Nepotes Parentum vices afsumunt & Avo
fuccedunt cum Filiis Ipfius in ftirpem, tantamque ex Hereditate
Avi accipiunt portionem, quantam Parens eorum fi in vivis
adhuc effet, haberet. Idque Repræfentationis Jure, cujus vi re-
motior

*Mynfing.
ad S. 6. Inft.
de Her. que
ab int. def.*

*Vultej. ad
pr. Tit. de
Her. que
ab int. def.
num. 30.*

*Hænon.
Disp. ad
Inst. 12.
Tb. 2.*

motior à propinquiori nequit excludi, cum Filii Patris præmortui fictione Juris eundem representent. Quod Jus non ad Proneptes saltem restringi, sed in infinitum ad quoscunque Descendentium extendi, crebriori Doctorum calculo comprobatur.

V. Parentes diversæ Lineæ, Gradu tamen pares, Liberis succedunt æqualiter.

*Först. Diss.
ad Inst. 15.
Tb. 11.*

Et si Votum Naturæ simul & Parentum sit, ut Liberi Parentibus succedant; videmus tamen inverso mortalitatis ordine, hos ad illorum successiones vocari non raro. Unde contentionis ferram inter alia Dd. reciprocare solent de illò Casu, ubi Parentes Gradu pares succedere debent ab intestato Filiis præmortuis, cum Bonorum separatio sit facienda, ita, ut quæ à Lineâ paternâ sunt profecta, solis Parentibus paternis; quæ verò à Matre ad defunctum pervenire, Maternis cedant Parentibus. Affirmativam licet defendant non pauci; negativa tamen verior videtur sententia, ob fundamentum satis solidum. Nov. 118. c. 2. ubi apertè Justinianus sancivit, Hereditatem Filii, vel alterius descendens sine Liberis defuncti ad Parentes in pari gradu existentes ex æquò pertinere. Hereditatem verò omne Jus, quod defunctus habuit, complecti, plusquam manifestum est. Cum igitur Lex indefinitè & indistinctè Hereditatem ex æquò dividi jubeat, aliter intelligi nequit, nisi respectu omnium Bonorum, undecunque quæstorum. Accedit ratio, quod plurimum differat acquisitio Bonorum à Successione, utpote in quâ non origo & causa acquisitionis, sed Persona acquirentis spectatur, nec Bona amplius paternâ dici possunt aut maternâ, sed Illius qui acquisivit: quò mortuò Hereditatis nomen adipiscuntur.

*Hunn. Res
sol. Lib. 3.
Tr. 1. Qv. 31*

*Mysing.
Cent. 6.
Observ. 55.*

VI. Soli

1467.
VI. Soli Fratrum Liberi si extent, in
Capita succedunt Patruo.

De Transversalium successionebus ordinaria sedes est in
Nov. 118. cap. 3. circa cujus finem sancivit Imperator, quod, si
plurimi ejusdem Gradus inveniuntur, secundum Personarum
numerum inter eos dividi debeat Hereditas. Unde luculen-
ter apparet, cum Fratrum Filii pari Gradu à Patruo distent, æ-
qualiter inter eos, adeoq; in Capita, hereditatem esse distribu-
endam. Præsertim, cum divisioni in stirpes tum demum lo-
cus sit, quando ad eos Hereditas defertur, qui è defuncti stir-
pe sunt progeniti. Fratrum igitur Filii cum ad Patruum stir-
pem non referantur, absurdum erit Illius hereditatem se-
cundum stirpes inter eosdem distribuere: cum insuper non
Patruum nomine & Repræsentationis, sed proprio Jure ad suc-
cessionem hanc vocentur. Accedit, Jure antiquo idem fu-
isse constitutum: quod cum Novellis constitutionibus immu-
tatum non sit, cur stare prohibeatur? Immutatum verò non
esse illud Jus exinde patet, quod in Novellâ illâ Justiniani
Constitutione de illo saltem Casu agatur, ubi unâ cum Patru-
is concurrunt Fratrum Filii, quò in stirpes succedere debent.
Quamobrem, argumentò à sensu contrario, quod in Jure
firmissimum est, deductò, si cum Patruis non concurrant, sed
soli existant illi ipsi Fratrum Liberi, in Capita, non verò in
stirpes succedent defuncto, juxta Juris antiqui dispositio-
nem.

*Arum. E-
xerc. Just.
11. Th. 12.*

*Magnif. Es
Consultif.
Dn. D.*

*Strauch,
Præceptor
Es Mecca-
nas meus
observan-
dis semus
reperit.*

*Coll. suc-
cess. ab int.*

*Disp. 5. Th.
12.*

Fachin.

Libr. 6.

Contr. c. 3.

EX JURE CANONICO, DE SPONSALIBUS.

VII. Sponsalia publica clandestinis,
si præcesserint hæc, præferenda.

Publica sponsalia sunt, quæ palàm in præsentia Testium,
quibus probari possint, celebrantur: clandestina verò, quæ
vel

Schneider

ad Tit. de

Nupt. Pare

vel l. num. 20.

*Mejer. in
Colleg. Ar
gent. ad
Tit. de
Sponsal.
num 13.*

*Beuf. de
Sponsal.
Qv 14.*

vel clam omnino remotis arbitris, vel sine eorum, qui præter desponsatos consentire debebant, consensu fuerunt contracta. Quod si igitur aliquis publica cum quâdam contrahat Sponsalia, iisdemq; peractis alia superveniat, asserens eundem prius clandestina secum contraxisse, quæritur, quænam subsistere debeant? Et publica, nisi illis accesserit Copula, omnino præferenda esse Dd. statuunt, non solum ob Textus Juris Canonici, quibus clandestina prohibentur expressè; sed & ob fraudes aliaq; incommoda, quæ exoriri inde possent faciliè, dum ita matrimonio occultè contractio alterutra pars mutare nonnunquam propositum præsumeret ac relinquere alteram probationibus destitutam. Et juxta hanc Sententiam in Consistoriis nostris pronuntiari constat.

VIII. Ad Sponsalia legitimè ineunda Parentum Consensus necessario requiritur.

*Excellentif.
Dn. Præses,
Præceptor
& Fautor
multis no-
minibus
colendus,
Velit. Iust.
3. Th. 3.*

*Georg.
Schultz. in
Syn. Iust.
ad Tit. de
Nupt. lit. d.*

Sunt, qui Parentum Consensum in Nuptiis Filiorum honestatis saltem causâ requiri statuunt, moti quibusdam Juris Canonici Textibus. Quibus tamen, tantum abest, ut subscribendum putemus, ut potius, re penitus inspectâ, asseramus indubiè, Sacros Canones etiam de necessitate Consensum requirere eorum, in quorum sunt potestate conjungendi. Id quod apertissimè testantur can. 1. Caus. 30. Qv. 5. & Can. non omnis 12. C. 32. Qv. 2. quibus Parentum Consensus ad eodè desideratur, ut eodè deficiente Nuptiæ pro illegitimis sint habendæ. Confirmant illud satis evidenter recentiores Canones, uti constat ex c. 1. de desponsat. Impub. & c. videtur 3. qui matrim. accus. poss. dum secundum Leges nullum pronuntiant matrimonium, circa quod Parentum consensus non fuit requisitus. Unde apparet, contracta Liberorum insciis Parentibus Sponsalia

1469.
salia irrita fieri & annullari: in tantum, ut etiam si jurisjuran-
di Religione firmata fuerint, nihilominus Parentes, re adhuc
integrâ subsecutorum matrimonium disturbare possint. Ju-
rumentum quippe contra bonos mores præsitum & exemplo
pernitiosum non esse obligatorium, plus quam manifestum
est. Neq; enim Vinculum Iniquitatis esse debet illud ipsum:
quod fieret, si juratis hujusmodi Nuptiis Parentum devene-
randorum autoritatem infringere Liberis concederetur atq;
errare.

IX. Distinctio Canonistarum inter Sponsalia de futuro & de præsentis non peni- tus improbanda.

Impugnant eandem pleriq; Juris Civilis Interpretes. (tan-
quam illo jure, quod Sponsalia de futuro saltem agnoscit, in-
cognitam,) Sponsalia de præsentis nihil aliud, quam verum
matrimonium contendentes. Verum enim verò, salvâ cu-
jusq; Sententiâ, non parum hæc invicem differre ex eò appa-
ret, quod omnes Nuptias præcedere debeant Sponsalia, seu
promissio mutua de nexu maritali. Hinc si dicat aliquis: ac-
cipiam Te in Uxorem, si me accipias; illa verò respondeat:
accipio Te; aut erunt Sponsalia de præsentis, aut Nuptiæ absq;
Sponsalibus. Hoc absurdum: ideoque illud asserendum,
Sponsalia nimirum de præsentis verum matrimonium non
constituere. Unde nec Sponsos lucra dotalia participare
Legibus est consentaneum, quippe quæ in compensationem
onerum matrimonii deferuntur, quibus non subsecutis ipsa
quoque cessat Dotis acquisitio. Demonstrat insuper illud
trina in nostris Ecclesiis denuntiatio de proferendis, ante-
quam matrimonium ineant desponsati, obstaculis, aliisque
quæ satis evincunt Sponsaliorum de præsentis & ipsius matri-
monii differentiam.

*Harpr. ad
Tit. de
Nupt. pr. n.
134.*

*Hunn. ad
Trentler.
Vol. 2. Disp.
6. Th. 1.
Qu. 10.*

*Ant. Coler.
Jus. Juris-
pr. Disp. 2.
Cor. 7.*

*Bronch.
Misc. Con-
tr. Assert.
98.*

B 2

EX

EX JURE SAXONICO, de LEUTERATIONE & APPELLATIONE.

X. Leutationem absq; speciali mandato Procurator prosequi potest.

*Magnif.
Dn. D.
Taubm. b.
1. Reſtor,
atq; Prece-
ptor sub-
miſe deve-
nerandus
in Diſp. 8.
ad Proceſſ.
Judic. Sax.
Th. 1.
Fachs. Diff
54. in f.
Wurml.
Libr. 1. Obſ.
Tit. 5. Obſ.
9. n. 1.*

Cum omnis Sententia licet iniquitate vel imperitiâ Judicis, aut inopiâ probationum lata, ipſo jure ſubſiſtat, ac in rem judicatam tranſeat, niſi impugnetur, meritò inter Saxones leuterandi Remedium, non quidem jure ſcripto, ſed moribus ſaltem & Conſuetudine, fuit introductum, quo, ſicut in Appellatione, prioris ſententiæ declaratio vel emendatio poſtulat. Ut effectum devolutivum Leuteratio, ſicut Appellatio, non ſortiat, ſed ſuſpenſivum ſolummodò, coram eodem Jdice expedienda. In reliquis potiſſimum conveniunt invicem, præprimis quod intra decendum, à tempore latæ ſententiæ, quod à momento in momentum currit, utraque ſit interponenda, & utriq; Parti communis habeatur. Quare & Procuratores etiam ſi mandato ſpeciali non fuerint inſtructi, hoc leuterandi beneficio uti poterunt, cum illis ipſis appellandi facultas non denegetur. Accedit, quod Verba Tit. 35. Proceſſus novi Judiciarii tam de Procuratore quam Principali poſſint exaudiri, nec ullibi Actus hic Jure Saxonico inveniantur recensitis inter eos, qui Speciale mandatam deſiderare videntur.

XI. In Foro Saxonico etiam ab interlocutoriâ Sententiâ licitum eſt appellare.

*Rosbach,
in Prax.
Civil. Tit.
73.*

Appellatio, quæ eſt à minore Jdice ad majorem ratione Gravaminum facta provocatio vel judicialis, vel extrajudicialis eſt. Sententia verò vel definitiva eſt, quæ principali Cauſa h.

1472.
sæ finem imponit, vel interlocutoria, quæ super emergenti aliquâ Quæstione fertur. Et ab hæc regulariter jure Civili appellari nequit. Secus de Jure Pontificio, quò Sacri Canones ante & post litis contestationem, ut & Sententiæ prolationem appellandi facultatem tribuunt. Quod Jus in Foro Saxonico utentium Consensus approbavit, ita, ut à quacunque interlocutoriâ & ab omni gravamine tam judiciali quam extrajudiciali liceat appellationem interponere. Unde & circa finem Tit. 35. Processus Judiciarii beneficium leuterandi & appellandi conjungitur, ob paritatem utriusq; , quæ facit, ut ab illo ad hoc rectissimè inferatur, & vicissim.

*Berlich.
Concl. 35.
n. 40. &
seqq.*

*Zobel,
Part. 1.
Diff. 41. n. 9*

XII. In Processu criminali inquisitorio Leuteratio & Appellatio non admittitur.

Etsi de Jure Communi non solum in Civili, sed & criminali Causâ concedatur Appellatio; attamen ex consuetudine Germaniæ inveteratâ, Terrisq; Saxonicis receptâ in Processu inquisitorio Appellatio non admittitur: ne scilicet Processus inquisitorius, qui summarius est, & mox finiendus, in ordinarium commutetur. Quod & de Leuteratione exaudiendum est, cum omnia ferè Jura, quæ de Appellationibus loquuntur, in Foro Saxonico Leuterationibus accommodari possint. Et hoc ad eas potissimum Causas restringendum videtur, in quibus pœna Corporis afflictiva inquisito est infligenda. Ubi enim jam certò constat Causam pro verè criminali habendâ non esse, & delictum perpetratum Jus Partis læsæ potius, quàm interesse Reipublicæ concernere, quin Reus Sententiâ se gravatum existimans appellare possit, non dubitatur.

*Carpz.
Prax.
Crim.
Part. 3.
Op. 139.
num. 14. &
28.
Moller.
ad Const.
Elect Part
1. 19. num. 1.
Carpz p. 1.
Const. 19.
Defin. 25.
& 28.*

EX JURE FEUDALI, de JUDICIBUS.

XIII. Pares Curiaë judicatori indistinctè novum Juramentum præstare non tenentur.

Magnif. Dn. D. Reusn. Ordinarium Colleg. Juridici gravissimus, Præcept. plurimum suspiciend. Diss. Feud. 12. Th. 39. Coler. De cist. 196. n. 3. Borch. de Feud. c. 10. n. 37.

Omnes omninò Judices ad præstandum de rectè judicando juramentum Jure Civili obligantur: ob quam generalitatem an idem ad Judices Feudales extendi debeat, non idem sentiunt Interpretes. Distinctione rem conciliari quodammodo posse, videtur. Quod si enim Juramentum Fidelitatis simpliciter, nullà de justè & rectè judicando mentione factà præstiterint Convasalli, & incidente inter Dominum & Vasallum ratione Feudi controversià, Judices constituti fuerint, ad præstandum de novo juramentum ipsos obstringi quidam existimant. Si verò in illo juraverint expressè, quod in omnibus Causis feudilibus, quæ inter Dominum & Vasallum movebuntur, & ad illorum cognitionem deferentur, utriq; Partijus & justiciam fideliter administrare velint, exigendum hoc non est, cum juramenta ampliari opus sit neutiquam.

XIV. Interdum ad Judicem loci ordinarium Controversiæ feudalis cognitio devolvenda est.

Goth. Anton. Diss. Feud. 14. Th. 5.

Ordinario Judici contradistinctus Feudalis appellatur, extraordinarius quoad Alodium & Jus commune: licet rerum feudalium respectu Jurisdictione ejusdem dicatur ordinaria. Quæ tamen casibus quibusdam suspenditur, & Ordinatio Loci committitur, consideratione vel ipsius Domini, vel Partium Curtis. Priori Casu lis feudalis coram illo terminanda est, si Vasallus neget se esse Vasallum illius Domini: cum in re propriâ iniquum admodum sit licentiam tribuere.

Senten-

Sententiæ; aut Dominus nullos habeat Pares Curia præter illum cum quò litigaturus est. Item, si Dominus neget Feudum esse promissum; aut Justitiam administrare detrectet: modò probatum fuerit, illum legitimè fuisse requisitum, cum in Judice non præsumatur negligentia. In Casu posteriori Parium Jurisdictio cessat & ordinario loci aperitur, si ex sufficienti aliquâ ratione suspecti arguantur; vel Pares in eadem Causâ debeant esse testes; cum nemo & Testis & Judicis officio defungi possit. Et qui sunt Casus hisce similes.

Rittersch. Part. Feud Lib 2. c. 9. Qu 24. Rosentb. de Feud. c. 12. concl. 15.

XV. Imperio vacante Præsul vaticanus Causarum feudalium Judex non est.

Quâ vanitate Imperium Romano Germanicum Pontificis feudum esse asseritur, eâdem facilitate Idem, vacante eodem, controversiarum ejusdem Judex rejicitur; quicquid etiam Illius asseclæ eidem gratificaturi scriptitent. Postquam enim neutiquam Imperatores à Pontificibus, sed Pontifices priorum Imperatorum largitione nobilissimas Imperii ditioes teneant, Vasallum Imperii Romani Pontificem rectius quis dixerit, quam Judicem. Judicandi hæc potestas meliori jure competit Serenissimis Imperii vicariis, Palatino & Saxoni Electoribus, quibus onus illud temporariæ administrationis speciali Auræ Bullæ constitutione concessum legimus.

Liebenh. Coll. Polit. Ex 7. Qu 3. Vulc. 1. Feud. c. 4. n. 9. Brautl. Jurispr. Publ. Libr. 3. c. 3. S. 9.

SUFFICIA T.

ADDITIO QUINTUPLEX.

I. Inter Statûs Imperii, qui Comitum & Baronum nomine veniunt, perquam exiguam esse differentiam, non solum ex eo apparet, quod in Novissimis Imperii Constitutionibus æquiparentur in plerisque; sed & Regalem hi non minus ac illi habeant dignitatem, cum in Baronis suis, quæ feudis majoribus accensentur rectissimè, Jura Principis exercere possint. Et, quod Baronum æquè ac Comitum dignitas Regalis sit & Illustris, exindè perspicuum redditur, quod præter Principes & Duces Imperii etiam Invictissimi Cæsares, ratione Baronatuum, quos possident, eodè Titulo uti non dubitaverint unquâ. *Reink. 14. 15.*

II. Si



II. Si *Conjuges invicem succedere debeant*, ad Pacta dotalia potissimum est respiciendum, cum, per vulgata Juris, provisio hominis tollat provisionem Legis. Hisce autem deficientibus Statuta Loci, in quo maritus habuit domicilium, sunt sequenda, quibus itidem Jura communia interpretandi & tollendi vis est. Quod si verò neq; hæc extant, ad Jus commune revertendum est, attentâ *Auth. præterea C. unde Vir & Uxor*, dispositione. Qualiter Jure Saxonico succedant invicem maritati pluribus exponit *Schneid. ad Tit. de Her. qua. ab int. def. de success. int. Vir. & Ux.*

III. Jure Romano qui *Sponsalia contraxerunt*, si facti eos postea pœniteat, matrimonium consummare necesse non habent, sed renuntiare sibi invicem liberè possunt, arrhis tantum, si quas dederint, perditis; aut si receperint, duplicatis redditis. Non idem permissum Jure Pontificio. Hòc enim, si quis fidem alicui de contrahendo matrimonio dederit, commonendus est, omnibusq; modis inducendus, ut datam fidem observet, nisi gravis aliqua Causa aliud svadeat, interveniente Judicis autoritate. *Wesenb. in P. ff. de Spons. n. 6.*

IV. Ad formâ Appellationis inter alia requiritur, ut Judex, à quo appellatur, appellanti certum & congruum tempus statuatur, intra quod se cù Apostolis reverentialibus præsentet Judici ad quem, & appellationem corâ eodè introducat. Quod Jure Civili arbitrarium saltè est & incertum; Saxonico autè certum & determinatum, unius nimirum Mensis, à die, quò Apostoli dati sunt, computandi, Estq; tam strictè hoc tempus & diligenter observandum, ut, si omittat illud appellans, seq; non præsentet, Appellatio pro derelictâ habeatur. *Berlich. Concl. 35. n. 121.*

V. Cum sit contra pudorè & verecundiâ naturalè, ut mulieres Virilibus officiis fungantur; meritò quoq; à judicandi munere arcentur Jure Civili. Cui cum Libris Feudorù contrarium quid decisum non reperiatur, nec hoc Jure *de Controversis Feudalibus cognoscere poterit femina*. Licet enim aliis conferre Feuda possit eadem, non tamen judicandi facultas ipsi statim est concedenda; nisi contrariâ consuetudine vel Statutò aliud sit receptum. *Magnif. Dn. Reusn. Diss. Feud. II. Th. 47.*

GLORIA SOLI DEO!

00 A 6414

ULB Halle

3


002 928 094



R

10 17







B.I.G.

Farbkarte #13

53 1459

TRINUNI AUXILIO
TERNAS
EX QUINTUPLICI JURE
POSITIONES,
Magnifici Jctorum Ordinis Consensu,
SUB PRÆSIDIO
VIRI
NOBILIS, AMPLISSIMI, EX-
CELLENTISSIMI,
DN. GODOFREDI SVEVI
J. U. DOCT. & PROFESS. PUBLICI LONGE CELEBERRIMI,
Curæ Electoralis, Scabinatus & inclutæ Facultatis Juridicæ
Adsesoris gravissimi,
PRÆCEPTORIS, PATRONI AC HOSPITIS SUI
submisso Observantiæ cultu æviternum colendi,
propugnare nitetur
PAULUS NEANDER, VRATISLAVIENSIS,
Die XIX. Julii.
IN ILLUSTRIS AD ALBIM ACROATERIO JURISCONSULTORUM.

WITTEBERGÆ
E Calcographeo JOHANNIS RÖHNERI, Acad. Typ.
ANNO M DC LI.

~~XXXXXX~~
XXVIII

369

